



Disputatio juridica inauguralis de obligationibus

<https://hdl.handle.net/1874/347236>

23.

DISPUTATIO JURIDICA
I N A U G U R A L I S,
D E
O B L I G A T I O N I B U S.

Q U A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbiq; Divini ibidem in
Ecclesiâ Præconis,

N E C N O N
*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis.

Eruditorum examini submittit
P E T R U S K E M P, Amstelodamô Batavus,
A. D. 2. Julii, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō Ibc LXXXIX.

23

OBBLIGATIONIBUS
D. HERMANNI VAN HALEN

PRO GRADU DOCTORATUS
IN UTROQUE IURE
PUBLICO ET PRIVATO
A UNIVERSITATE
LUTETIENSIS
ARTIS
MAGISTRIS
D. HERMANNI VAN HALEN
CANDIDATO



TRAJECTI ad RHEINUM
Ex Officina FRANKISII HALMA, Aedificans
Typographi, de la Haye

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

OBLIGATIONIBUS.

T H E S I S I.



Upremo Salvatore Juvante, *de Obligationibus*, (materiâ, quæ suâ prolixitate, & difficultate non destituitur) pauca, præcipua tamen dicturo, non immeritò ea, quæ in *Onomatologia* ad nominis explicationem pertinent, præmittenda erunt. Itaque Homonymiam vocis si pectes, quatuor potissimum modis in jure sumitur 1. *latè*, & *impropriè* pro quolibet vinculo, & adstrictione, ità masculi & feminæ tributò capitis obligari dicuntur *l. 3. pr. ff. de censib. 2. strictè*, & *propriè* pro tali vinculo, quo quis mediante suò factò præstare aliquid tenetur *l. 1. ff. d. obl. & Act. 3. per excellentiam* vocatur Obligatio, cui jus civile plenè assistit *pr. instit. de Oblig. 4. in genere* sumitur pro obligatione tam dandi, quam faciendì *arg. l. 2. pr. de V. Obl.* In qua acceptione definitio datur, in *Pragmatologia*, quod sit vinculum Juris, quo adstringimur ad aliquid dandum vel faciendum. *Vinculum dico pr. instit. de obl. quod pro diversitate obligationis modò civile, modò naturale dicitur l. 59. ff. de Condit. ind.* Dico, *quo astringimur*, si quidem obligatio omnis adjunctam habere necessitatem debet *l. 8. ff. de obl. & A.* Quoad reliqua verba, definitio ex sequentibus uberioriorem capiet lucem.

I I. I I. I I. I I. I I. I I.

Dividitur verò *Obligatio in Naturalem, Civilem, & mixtam*, *Naturalis* est quæ solò æquitatis naturalis vinculo quem astringit *l. 95. §. 4. ff. de sol. & vocatur naturalis* à natura humana, seu ratione, quæ nos jubet dare quid, vel facere. Is enim natura debet, quem jure gentium dare oportet. Cum nihil magis sit secundum naturam, quam fides idest, dictorum contorumque constantia; & nihil tam congruum est fidei humanæ, quam ea, quæ placuerunt, servare *l. 1. ff. de pact.*

I I I.

Hæc species *Obligationis Naturalis* subdividi potest in *pleniorē, & minus plenam*: *Plenior* est, ex qua jure naturali quidem nascitur actio: seu quæ jure gentium quidem efficax est ad petendum & agendum. Et quanquam Jure Civili in foro exteriori non obliget, nec actionem pariat; alios tamen effectus producit; putà: *Indebiti conditionem impedit l. 10. ff. de Obl. & ac.* *Locum facit compensationi l. 6. ff. de Compens.* *Item Novationi l. 1. §. 1. ff. de nov.* Potest etiam in constitutum deduci *l. 1. §. 7. ff. de const. pec.* *Ei rectè accedit pignus l. 1. pr. ff. de pign. act.* *Itemque fidejussor §. 1. Inst. de fidejuss.*

I V.

Minus plena est, quæ nec jure naturæ actionem, nec jure civili ullos effectus producit; sed in nudis honestatis terminis consistit, & cujusque pudori, ac conscientiæ relinquit, utrum quod debet, præstare velit, nec ne. Quò referuntur obligationes ad *avli-
sopa l. 25. §. 11. ff. de pet. hered.* & ea, quæ heres legatis oneratus, tenetur præstare integra legata, citra detractionem *Falcidiæ l. 1. §. ult. C. ad leg. Falcid. l. 2. C. de fideicom.*

I N A U G U R A L I S.

V.

Obligatio Civilis est vinculum solius Juris civilis, quo quis ita astringitur, ut competat in eum quidem actio, sed in efficax, cum per Exceptionem oppositam infirmetur §. 1. & 3. *Inst. de excep.* Seu quæ provenit ex approbatione legis, paritque actionem, non autem exactionem.

V I.

Subdividitur autem hæc species *Obligationis Civilis* in *efficacem*, & in *inefficacem*: *Efficax* est, ex qua efficax nascitur actio, propterea quod fictione juris civilis ob publicam utilitatem, aut alia probabili de causa habetur pro mixta, adeoque utitur æquitate fictâ, seu de jure præsumptâ: uti est obligatio ex re judicata: it: ex jure jurando voluntario, & ex confessione in jure l. 56. ff. de re jud. & ea quæ oritur ex literis, seu chirographo post biennium *Tit. Inst. de Oblig. liter.*

V I I.

Inefficax, est cujus actio eliditur per exceptionem, ut quoties debitor, qui summo jure potest conveniri exceptione aliquâ metus, doli, erroris, pacti &c. defenditur, & propter hujusmodi exceptionem à judice absolvitur l. 3. §. 1. ff. de constir. pec. §. 1. & 3. *Inst. de Excep.*

V I I I.

Obligatio Mixta est vinculum æquitatis, & juris civilis; quo quis ita astringitur, ut actio efficax in eum detur, seu quæ producit tam actionem, quam exactionem; quam & naturalis sustinet æquitas, & legis civilis firmat autoritas. De qua accipi debet definitio supra data.

IX.

Subdividitur autem *Mixta*, in *Civilem* rursùm, & in *Prætoriam*: *Civilis* in specie ita dicta, est, quæ aut legibus constituta, ut verborum, & literarum obligatio: aut certò jure Civili comprobata, ut ex empto, deposito &c. §. 1. *Inst. de Obl.* Omnis enim illa obligatio dicitur civilis hoc casu, quæ non valet ex autoritate solius Prætoris, sed ex ipso jure civili, sive jus civile eam primùm invenerit, sive jure gentium inventam confirmârit, & in foro civili ad effectum produxerit.

X.
Prætoriam est, quam Prætor ex sua jurisdictione constituit æquitatis causa §. 1. *Inst. de Obl.* ex qua Prætoriarum actiones nascuntur: quales sunt Publiciana; Rescissoria, serviana, Hypothecaria; de constituta pecunia &c. Hæ obligationes dicuntur, non quasi Prætor eas primùm invenit, sed quia exindè primus in foro civili dedit actionem, jure naturali hac in parte adjutus; omnis enim obligatio Prætoriam est quoque naturalis; sed non contra; quia non omnibus obligationibus naturalibus Prætor efficaciam, sed iis solum dedit, in quibus maximè videbat æquitatem dominari.

X I.
Causa Efficiens Obligationis sunt *Contractus*, aut quasi *Contractus*: *Maleficia*, aut qs. *Maleficia*. §. 2. *Inst. h. t.* Et hoc est quod Ulpianus ait: obligationes nasci ex Contractu, vel maleficio, aut proprio quodam jure ex variis causarum figuris l. 1. *pr. ff. de Obl. & ac.*

X I I.
Contractus autem est conventio, obligationem efficacem propria suâ vi produceens, & dividitur in *Nominatum*, & in *innominatum*.

minatum: *Nominatus*, seu certus, est qui nomen proprium habet, & ex quo certa, & legitimo nomine prodita actio datur *l. 7. §. 1. ff. de pact.* ut constat ex Contractu Reali, Verbali, literali, est Consensualis: item ex Delictis.

XIII.

Innominatus est, Qui nullum ex jure civili nomen, nec formam, certis limitibus definitam habet *l. 7. §. 2. ff. de pac.* unde non datur actio certò nomine prodita, sed actio resultat, quæ dicitur præscriptis verbis *l. 2. 3. & 4. ff. d. t.* sciendum enim est, quod omnis actio jure veteri inscripta dici possit præscriptis verbis; quia præscripta erant verba, & præscripta erat formula, qua uti necesse erat, ità ut qui in syllaba erraret, causà caderet. Sed hodiè nunc utimur nomine communi, cum deest nomen proprium. Itaque Actio præscriptis verbis est, actio civilis, quæ proprio nomine caret, id est, quæ nascitur ex contractu innomito. Datur ipsi quoque aliud nomen: scil. actio in factum simpliciter; vel in factum præscriptis verbis.

XIV.

Species contractus innominati sunt: Permutatio *ff. de rer. perm.* 2. Contractus æstimatorius *ff. de æstim. act.* 3. Contractus do, in des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias *l. 5. ff. de præf. verb.* Dicitur v. his contractibus causa subesse, sc. datio, vel factum *l. 7. §. 2. ff. de pac. l. 4. & 5. ff. de præscr. verb.* Non enim, nisi ab alterutra parte vel datum aliquid, vel factum sit, perficiuntur, ut ità omnes re consent.

XV.

Dividitur porrò Contractus in verum, & quasi contractum. Verus est, in quo contrahentes verè consentiunt, ut si non uterque, alteruter saltem obligatur *l. 23. ff. de cond. indeb.* ut est Mutuum

8 DISPUTATIO JURIDICA

Mutuum *inst. quib. mod. re contr.* Commodatum §. 2. d. r. depositum §. 3. h. r. pignus §. 4. eod. stipulatio *inst. tit. de verb. obl. contractus literalis inst. tit. de lit. obl.* emptio & venditio *inst. tit. de empt. & vend.* locatio & conductio. *inst. tit. de locatione & conduct.* Emphyteusis §. 3. d. r. Societas *inst. tit. de Societ.* Mandatum *inst. tit. de Mand.* Quamvis præterea veri contractus sint innominati, qui licet certum, & speciale nomen non habeant, vera tamen iis conventio, aut consensus in est.

X V I.

Quasi contractus ad similitudinem veri contractus ita dictus est, uti quasi possessio, quasi usufructus &c. Unde & absoluta non nunquam contractus appellatione venit, sed non effectivè §. 1. *inst. de actionibus l. 16. ff. de neg. gest. l. 49. ff. de obl. & act. l. 23. de re jud.* differt autem Verus contractus à quasi in hoc, quod vera conventio, aut consensus hic nullus interveniat, sed jus propter factum aliquod eum tacitè intervenisse fingat, & præsumat §. 1. *inst. de quasi contr. l. 1. ff. neg. gest. l. 1. ff. de obl. & act.*

X V I I.

Definitur itaque *quasi contractus*, Tacita conventio, per quam obligatio juris præsumptione propter negotium aliquod interveniens constituitur, etiam inter ignorantes, & invitos. Species autem quasi contractus sunt Negotiorum gestio §. 1. *inst. de obl. qua quasi ex cont.* Administratio tutelæ §. 2. eod. communio rerum §. 3. eod. aditio hereditatis §. 5. *ibid.* indebiti solutio §. 6. *ibid.*

X V I I I.

Prædicti contractus omnes in specie dicuntur vel *δύπλοισι*, vel *μόνολοισι*: vel *bonæ fidei*: vel *stricti Juris*: vel *principales*: vel *accessorii*. *Δύπλοισι* hoc est, utrinque obligatorii, seu ex quibus obligationes mutuae nascuntur: quales sunt contractus
nomi-

nominati, ut Emptio venditio, locatio conductio, Emphyteusis, Societas: nec non hi quasi contractus: ut negotiorum gestio, Tutelæ administratio, rerum & hereditatis communio.

X I X.

Μονόπλοιστοι id est, ut loquuntur, uni lateri, utpotè ex una parte obligantes, ut sunt vel veri hi contractus: Mutuum, Stipulatio *pr. inst. de aut. tut. l. 19. de V. S.* literarum obligatio. Qui tales non solum ab initio sunt, sed & deinceps perpetuo ejusmodi manent: Item Commodatum, Depositem, Mandatum, qui quidem ab initio non habent ex utraque parte obligationem, ex post facto tamen consequuntur. Vel hi quasi contractus, ut aditio hæreditatis, & solutio indebiti.

X X.

Bonæ fidei, & stricti juris sunt, qui incidunt in actionum divisionem bonæ fidei, & stricti juris, de qua in *tit. de actio.*

X X I.

Principales sunt omnes, quibus accedit pignus, aut fidejussor.

X X I I.

Accessorii sunt pignus, & fidejussio *l. 34. pr. ff. de fidejuss. l. 1. §. 8. ff. de obl. & act. l. 91. §. 4. ff. de V. obl.*

X X I I I.

Maleficia, sive delicta, ex quibus Obligationes nascuntur, sunt vel *publica*, vel *privata*. *Publica* sunt, quæ ex legibus publicorum judiciorum descendunt *l. 1. ff. de publ. judiciis*. Per quæ non tam hic, vel ille civis pro se privatim, quàm tota Respublica,

blica, seu publicus status læditur, ut est sed itio, homicidium, peculatus, ambitus &c. de quibus sub *tit. ult. inst. & lib. 48. ff. agitur.*

X X I V.

Privata sunt per quæ principalitèr, & directò non status Reip. sed civium privatorum aliquis læditur, ut est furtum, §. 1. *inst. de obl. quæ ex del.* Rapina *tit. inst. de vi bon. rap.* Damnum injuriæ datum *tit. inst. de leg. aq. l. injuria tit. inst. de injur.*

X X V.

Quasi maleficia, seu delicta sunt, quando factum oritur, ex quo, qui convenitur, dici non potest id commisisse, quod in speciem veri delicti cadit, fecit tamen quod est delicto proximum. Seu cum quis non dolo, sed culpâ tantum aliquâ delinquere intelligitur *pr. inst. de obl. quæ ex quasi deli.* Nam si dolus intervenierit (exceptò tamen eo, quod vindicatur L. Aquiliâ, in quo etiam culpa sufficit) verum, & proprium delictum est. *l. 1. ff. de injuriis.*

X X V I.

Subjctum Obligationis sunt personæ obligationis capaces; nec tamen quælibet indistinctè obligantur, quarundam enim obligationem impedit defectus consensus, ut *infantium, mente captorum, & furiosorum.* *Infantes*, dico, id est, annis septem minores, quibus aliquem habere intellectum, negatur §. 9. *Inst. de inut. stip.* Igitur nec tutoris accedente auctoritate obligatur, quia necesse est, ut prius aliquid agatur, quam Tutoris sequatur approbatio *arg. l. 3. C. de cur. fur. Mente capti* quoque, qui etiam dementes, & fatui appellantur, intellectu, adeoque consensu carent, & rebus suis superesse non possunt §. 4. *Inst. de cur.* Sed *furiosorum* nulla est voluntas *l. 40. ff. de r. j.* nec ullum negotium gerere possunt, quia non intelligunt, quod agunt. §. 8. *inst. de inut.*

inut. stip. Quod verum est, de iis, qui continuo furore laborant, non qui dilucida furoris intervalla habent. Intermittionis enim tempore, furiosum contractum posse facere, non ambigitur *l. 2. C. de contrab. empt. l. pen. C. de cur. fur.*

X X V I I.

Alii non obligantur propter ademptam rerum suarum administrationem, ut sunt *prodigi minores, pupilli infantiâ majores.* Prodigus enim sine consensu Curatoris non obligatur *l. 6. ff. de V. Obl.* nulla siquidem ejus est voluntas *l. 40. ff. de r. j.* comparaturque furioso *d. l. 40.* licet in hoc, quod obligationes acquirere sibi possit *l. 6. ff. de V. Obl.* ab eo differat; ne naturaliter quidem, nisi quando conditionem suam fecit meliorem *l. 3. ff. de Nov.* aut quando ex re venit actio *arg. l. 46. ff. de obl. & act.* ideoque nec fidejussor pro eo intervenire potest *l. 6. ff. de V. obl.* Interveniens tamen tanquam reus principalis tenetur *l. 25. ff. de fidej.* Sibi enim imputet, quod promiserit pro eo, quem prodigum non ignoravit.

X X V I I I.

Minor 25 annis sine Curatore constitutus, obligatur ex contractibus, ita tamen ut restitutionem in integrum implorare non prohibeatur *l. 3. C. de in integ. rest.* Ast de eo, cui datus est curator, quæcunque obligatio rectè negatur, adeoque ut ipso jure tutus sit, non quidem propter deficientem consensum, sed quia per dationem Curatoris, sicut aliarum rerum omnium administratio, ita & contrahendarum, & obligatio ipsi adempta est. Sicut igitur interdictio administrationis prodigum inhabilem reddit ad obligandum, ita & minorem, qui non absimilis dicitur ei, cui bonis interdictum est *l. 3. C. de in integ. rest.*

X X I X.

Pupilli pubertati proximi, licet alios sibi obstrictos tenere queant,

queant, §. 9. *inst. de inut. stip.* absque Tutore non obligantur d. §. 9. ne quidem naturaliter l. 41. ff. de *condict. indeb.* ita scilicet, ut personæ pupilli noceat obligatio, atque effectu aliquo à jure civili munita sit. Et si enim æquitas naturalis suadeat, ut fides data servetur, major tamen contraria æquitas illa videtur, quæ vult, ut propter fragile, infirmum, & multis captionibus expositum judicium, cujusmodi impuberum est, sibi prospicere non potest, nec sibi nocere debeat.

X X X.

Quidam ad contractus celebrandos sunt inidonei, ut *muti*, & *surdi* ad stipulationem §. 7. *inst. de inut. stip.* In hac siquidem utrinque verba intervenire oporteat; sicut muti non proferre, ita nec surdi percipere, aut intelligere possunt.

X X X I.

Quidam certis tantum personis non obligantur; sic inter patrem & filiumfam. item inter fratres in ejusdem patris potestate existentes, civilis obligatio non consistit. Non inter patrem & filium dico, l. 16. ff. de *fur.* l. 56. §. 1. ff. de *fidei.* quia hi una eademque censentur esse persona. Naturaliter verò filius patri d. l. 56. sicut pater filio obligatur l. 38. §. 2. ff. de *condict. indeb.* Nec frater fratri obligatur, quæ inter fratres ejusdem familiæ æquæ unionis fictio jure Civili inducta est. arg. §. 10. *inst. de test. ord.* nisi naturaliter l. 38. pr. ff. de *condict. indeb.* Quæ naturalis obligatio fratri semel acquisita, in ejus persona permanet, nec ab ea divelli, & ad patrem transire potest. d. l. 38.

X X X I I.

Causa materialis, circa quam Obligatio versatur sunt *res*, & *facta*. Quanquam enim & facta rei vocabulò contineantur, & re contrahi dicantur, si non datio, sed factum præcesserit; nam & obligatio ob rem dati vocatur, quæ ob factum datur l. 52.

l. 52. ff. de condit. indeb. Hic tamen res distinguuntur à factis. Res itaque in obligationem deduci aptæ sunt omnes tam mobiles quàm soli *pr. inst. de inut. stip.* tam corporales quàm incorporales §. *fin. int. de servit.* etiam alienæ *l. 137. §. 4. in fin. ff. de V. obl.* quarum æstimatio, si dominus vendere nolit, præstanda. Nec enim ideo, quod res sit aliena, impossibilis est præstatio, sed incommodum personæ non impedimentum naturæ est, quia res per se, naturâ, & conditione suâ dari potest. De his enim rebus negotium rectè gerimus, ut ait J Crus in *l. 83. §. 5. ff. de V. obl.*

X X X I I I.

Factum ut ritè inseratur Obligationi, oportet ut sit *possibile & proprium.* Possibile, dico, *l. 53. ff. de V. obl.* impossibile enim nulla est obligatio *l. 185. ff. de r. j.* Fieri aliquid nequit, vel quo natura ei impedimento sit, quò minus existat §. 10. *inst. de inut. stip.* vel quo juræ prohibitum, vel honestati, & bonis moribus contrarium inveniatur *l. 26. de V. obl.* Hoc enim facere non possumus *l. 15. ff. de condit. instir.* Obligationes, quæ factum turpe, aut legibus vetitum continent, ipso jure nullæ sunt. *l. 5. C. de ll.*

X X X I V.

Proprium debet factum esse *l. 83. ff. de V. obl.* Alienum siquidem factum inutiliter promittitur *l. 65. ff. de fidej.* neque promissor obligatur §. 3. *inst. de inut. stip.* quia non vult, aut certè verbis non expressit. Aliud constitutum est in eo, qui se facturum, ut alius faciat, spondit; hic enim cum proprium suum factum promississe intelligatur *l. 81. p. ff. de V. obl.* tenetur, in id scilicet, quo stipulatoris interest, neque, licet summam diligentiam in monendo illo adhibuerit, liberatur *l. 73. de leg. 1.*

X X X V.

Factum quoque quo mediante oritur Obligatio, est *delictum*, ut constat ex *l. 1. pr. ff. de obl. & act. §. ult. inst. de obl.* Delictum enim

14 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS:

enim est factum illicitum, quo nocetur, detrahiturve quidal-
teri. Comprehendit sub se & crimen, id est delictum publicum,
quod ad læsionem reipubl. directò tendit, & maleficium seu pri-
vatum delictum, quo offenduntur singuli, scilicet quando actum
hominis est externum. Peccatum enim quod in actum non de-
ducitur, seu conatus Jcto in considerationem non venit *l. 25. de V. S.* nec cogitationis pœnam quis patitur *l. 18. ff. de pen. sc regulariter.* Sunt tamen casus passim in jure obvii, quibus animus etiam delinquendi coërcetur, ut in *l. 20. C. de fur.* differunt autem Obligationes ex delictis, ab iis, quæ ex contractibus descendunt: quod hæc & nudo consensu, & re, & verbis, & literis contrahantur; illæ vero nascuntur omnes ex re *l. 4. ff. de obl. & act. pr. inst. de obl. qua ex del.*

X X X V I.

Causa formalis Obligationis consistit in vinculo Juris, hoc verò formatur per causas, ex quibus Obligationes nascuntur,

X X X V I I.

Causa finalis est solutio, rei solvere enim dicimus eum, qui facit, quod facere debet *l. 176. de V. S.* ut detur aliquid quod fiat *l. 3. ff. de obl. & act. l. 2. pr. ff. de V. obl.* cum obligatio non tantum pro fine, & objecto rem habet, sed etiam inter res, licet incorporales, refertur.

COROLLARIA.

I.

Ex pacto non datur actio.

II.

Impossibilis conditio non vitiat ultimam voluntatem.

F I N I S.

GENERE VIRTUTE;
INGENIOQUE PRÆSTANTISSIMO

V I R O

PETRO KEMP,

DOMINO de KRAJESTYN,

*Cum pro gradu Doctoratus hæc Thefes
Inaugurales publice ventilet.*



Uem Juvat Elæi metas contin-
gere Olympi,
Evehere ut liceat Victor ad istra
Poli:

Aut quem sollicitat, populum sibi
reddere plausum;

Hunc sua jura manent, præmia
digna Virò.

Quum somni vacuus sub noctem pectore versat

Atque diem curas, Regis adire thronum:

Illum, si meruit luctando grande brabeum,

Antè recollectò pulvere Olympicò.

Quod si quis fertur, Tetricos horrere labores,

Mancipio ut Veneris Florida verna litet,

Non datur huic culmen Fortunâ scandere honoris,

Sed manet obscurus, quo fuit antè locò

Sola Sophocleo sua Carmina digna Cothurnò,

Cui manè & serò contigit esse labor.

Sic Tibi grande decus Virtutis Campus adauget,

Quem modò colce fat est, insiluisse Tuò.

Cam,

Campus adest luctæ, luctando Kempius ipse
Ingreditur Campum disserere intrepidus:
Fatidicæ Themidis resonat Vox Aurea supra:
Kempius est Victor, Filius ipse meus!
Nympharumque Cohors, & quod tenet inclyta tellus,
Corripiunt gressum, carpere Palmiferum,
Munera Divorum nec vi, nec fulmine tacta,
Fronde perennanti præmia docta Virum.
Serta legunt fronti frondenti laudis amore,
Inter Victrices Palladis arce sitæ.
Applausus sonitu pererrumpit æthera Cæli
Kempius hanc laurum temporibus religat!
Ergò, mi Kempî, quoniam fors omnia versat,
Mutatis præcis, in nova fert animus,
Hanc novam Spartam tuearis, corde fovere
Dicereque ore meo: Nomen & Omen habe!

Ἰὸσὶ τοῦ ἀριστοῦ τῆς δεινῆς

JOH. SCHOONHEYT,

J. V. D.